



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

Disputatio XVII. De co[n]stitutivo peccati formalis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)



## §. II.

*Solvuntur Objectiones.*

7. **O**bjicies primò. Si omne peccatum esset ideo tale, quia lege prohibitum, tunc falsa foret antiqua Theologorum distinctio, quã dicunt, aliquos actus ideo esse malos, quia prohibitos [quales sunt actus ex se indifferentes, v. g. comedere carnes die Veneris, qui primùm propter legem positivè prohibentem inducunt rationem mali] alios verò prohibitos, quia malos, quales sunt actus intrinsecè mali, ut odium DEI, mendacium &c. sed consequens est absurdum: ergo. Seq. probatur: quia in actibus ideo prohibitis, quia malis, malitia præsupponitur legi prohibenti: sed si omne peccatum est formaliter tale quia lege prohibitum, lex præsupponitur malitiæ: ergo.

Respond. Illam causalem Theologorum tantùm habere locum & sensum de prohibitione legis positivæ, non autem legis æternæ, vel naturalis. Ita ipse S. D. hic a. 6. ad 4. *Illud*, inquit, intelligitur de prohibitione facta per jus positivum; si autem referatur ad jus naturale, quod continetur primò quidem in lege æternâ, secundariò verò in naturali iudicatorio rationis humane, tunc omne peccatum est malum, quia prohibitum.

8. **O**bjicies secundò. Quod est dissentaneum rectæ rationi & divinis perfectionibus, est moraliter malum: sed actus intrinsecè mali præsuppositivè ad omnem prohibitionem sunt dissentanei rectæ rationi ac perfectionibus divinis; ergo præsuppositivè ad omnem legem prohibentem sunt moraliter mali. Minor constat, quia mendacium v. g. præscindendo ab omni lege pugnat cum veracitate tam divinæ naturæ, quam humanæ: Major probatur: quia præscindendo ab omni lege isti actus sunt & cognoscuntur à DEO per necessariam scientiam suæ simplicis intelligentiæ vel boni, vel mali moraliter: sed non cognoscuntur ut boni, quod ipsis repugnat: ergo cognoscuntur ut mali moraliter. Resp. dist. maj: est malum moraliter vel formaliter vel fundamentaliter, concedo; semper formaliter, nego maj: ergo isti actus intrinsecè mali præsuppositivè ad omnem legem sunt moraliter mali, fundamentaliter concedo; formaliter, nego consequentiam.

Sensus & ratio distinctionis est, quòd illi actus, quos vocamus intrinsecè malos, eò quòd repugnent divinis perfectionibus, atque hoc ipso sint incapaces bonitatis moralis, præbeant fundamentum, ut DEUS per suam æternam legem, & exinde derivata ratio naturalis præscribat, ejusmodi actus esse fugiendos. Unde in priori signo rationis, in quo concipimus istos actus tanquam divinis perfectionibus oppositos, dicuntur fundamentaliter mali; in posteriori verò signo, in quo concipimus oppositos legi prohibenti, sunt formaliter moraliter mali. Unde ad probationem maj. Resp. Per necessariam scientiam simplicis intelligentiæ istos actus cognosci ut malos & fundamentaliter & formaliter, fundamentaliter quatenus illos attingit ut oppositos suis Divinis attributis; formaliter quatenus illos attingit ut oppositos legi suæ æternæ.

Instabis: si per impossibile DEUS mentiretur, tunc peccaret, & tamen non peccaret contra legem, siquidem nullum habet se superiorem: ergo essentia peccati non dependet à lege prohibente. Resp. nego min. quia in illa hypothesi impossibili DEUS etiam impossibiliter non esset sua regula, & sic rursus per novam impossibilitatem haberet regulam se superiorem.

9. **O**bjicies tertio. Si actus intrinsecè mali ideo forent mali, quia æternâ DEI lege prohibiti, tunc DEUS posset illos aliquando permittere, aut in illis dispensare: sed consequens est absurdum: ergo. Sequela probatur à paritate legis humanæ, in quâ legislator dispensare potest; siquidem actus tantùm dependenter à legis prohibitione est malus.

Resp. negando sequel. tum quia permissionis vel dispensationis objectum debet esse saltem aptitudinaliter bonum: sed actus intrinsecè mali propter intrinsecam repugnantiam cum divinis perfectionibus ex se sunt incapaces bonitatis moralis, & fundamentaliter mali: tum quia permissio & dispensatio tantùm fit in objecto legis liberæ, non necessariæ; atqui lex æternâ DEI prohibens actus intrinsecè malos non est libera, sed necessaria. Unde patet disparitas ad instantiam, nam lex humana, v. g. prohibens comedere carnes, est libera.

## DISPUTATIO XVII.

DE

## Constitutivo peccati formalis.

**P**eccatum tanquam aliquod compositum morale & accidentale duo includit, aliud materiale, quod in peccato commissionis est actus humanus & voluntarius, in peccato omissionis voluntaria omisso; aliud formale, quod est ipsa formalis malitia, ex quâ actus malus & peccaminosus denominatur. De hac diversâ & intra ipsam Doctoris Angelici Scholam oppositâ sunt DD. sententiæ. Diversitatis causa est partim ipsa peccati obscuritas, partim doctrinæ Angelicæ incertitudo, dum variis in partibus S. Doctor modò in unius, modò in alterius oppositâ sententiæ favorem quasi problematicè loqui videtur, ut ex adducendis textibus constabit. Pro clariori expeditione negotii certiora præmittimus.

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.

Z 2

ARTI,



## ARTICULUS I.

*Sitne in formali malitia peccati admittendum aliquod  
privativum?*

## SUMMARI A.

1. Refellitur Sententia Perezii & Esparzae.
2. Asstruitur in malitia formali peccati privatio debita rectitudinis.
3. Probatnr inductione.
4. Prima solutio ad argumentum ordinarium Adversariorum.
5. Non exhaurit difficultatem.
6. Refellitur instantia de culpa.
7. Rectitudo est debita inesse actui, debito morali, non naturali.
8. Tametsi sit intrinsicè malum.
9. Alia plures privationes comitantur peccatum.

## §. I.

*Affirmatur privatio debite rectitudinis ex parte formalis malitia.*

1. **N**ondum loquimur de formali constitutivo ipsius malitia, sed de his quæ ex parte formalis malitia sive primario, sive secundario, sive constitutive, sive consecutive reperiuntur. Et quidem Anton. Perez citatus ab Esparza q. 29. agnoscit in peccato aliquid privativum, quod sit privativa determinatio voluntatis in priori natura antecedens actum positivum, essentialiter tamen connexa cum existentia actus ut futuri posteriori natura; ipse verò Esparza admittit ulterius privationem rectitudinis debite inesse non actui, sed voluntati. Neutra tamen explicatio satisfacit, quia privationem querit, aut statuit extra ipsummet peccatum ex parte principii ut Perez, vel subiecti, ut Esparza: cum tamen ratio mali intrinsicè reperiatur in ipso peccato, nec voluntas aliter sit & denominetur mala, quam propter ipsum peccatum. Igitur, cum sit de natura mali, quod careat aliqua perfectione & bonitate, carentia & privatio ejusmodi perfectionis intra ipsum peccatum ostendi debet. Quæ de causa D. Th. in 2. 2. q. 118. a. 5. in c. inquit: *Omne peccatum ex hoc ipso quod est malum, consistit in quadam corruptione, seu privatione boni.* Ethica. 6. *Habet actus humanus, quod sit malus ex eo, quod caret debita commensuratione.* Unde sit

2. **CONCLUSIO.** *In peccato commissionis datur aliqua malitia privativa, quæ sit carentia rectitudinis debite inesse actui.* Est recepta inter Discipulos S. Thomæ, etiam illos, qui constitutum peccati collocant in positivo, contra Almayn. tract. 5. moral. c. 13. & Vasq. in præf. disp. 95. c. 6. qui licet in peccatis ideo malis, quia prohibitis admittant privationem alicujus formæ debite, eandem tamen negant in peccatis intrinsicè malis, ut odio DEI, mendacio &c. Nosram tamen assertionem probant omnes autoritates S. Script. PP. & Doctoris Angelici a. 3. pro nostra sententia referendæ.

3. Ratio est: Omne malum ideo est malum & defectuosum formaliter, quia habet defectum bo-

ni, & deest ipsi aliqua bonitas & perfectio debita sive [ ut habet S. D. ] quia deficit ei aliquid plenitudine essendi: ergo omnis malitia formaliter importat aliquem defectum privativum: natis debita, prout constat inductione naturalis: naturale quippe malum, v. g. monstruosa cæcitas, formaliter includit carentiam alicujus perfectionis naturaliter debita; malum artificiale dicitur formaliter carentia debite rectitudinis artificialis: adeoque etiam malum morale formaliter includit privationem alicujus perfectionis moraliter debite. Atqui bonitas actus humano debita est rectitudo honestatis moralis quæ deservitur peccatum secundum formam rationem malitia: ergo in formali malitia peccati reperitur privatio rectitudinis debite. Sumptum quoad 2. membrum est certum, quia 1. probatur: Cuiuslibet actus humano ex deliberata ratione, ex primis principiiis practiciis synderesis, & amore ultimi finis in communi procedenti, debetur bonitas & rectitudo rationis, quæ procedit, ideoque in via D. Th. non datur actus indifferens in individuo, eò quod omni actus humanus debeat elici conformiter ad finem proprium hominis ut homo est, nempe ad bonitatem honestam: sed peccatum commissionis est actus humanus ex deliberata ratione procedens: ergo ipsi debetur bonitas, rectitudo, & ordo rationis.

## §. II.

*Diluitur solennis obiectio Adversariorum.*

**O**rdinarius Achilles, & solennis obiectio nostram assertionem sic oppugnat: Privatio est absentia formæ debite & in subiecto apto ad eam habere: sed absentia rectitudinis moralis in actibus intrinsicè malis, v. g. mendacio, odio DEI non est absentia formæ debite, & in subiecto apto, siquidem isti actus habent intrinsecam incapacitatem & repugnantiam cum honestate, suntque prohibiti, quia mali: ergo saltem in istis actibus non reperitur privatio debite rectitudinis.

Communi objectioni occurrit communis responsio & distinctio: privatio est carentia formæ debite vel ratione gradus communis, vel specificæ, concedo; tantum ratione gradus specificæ nego: sed actus intrinsicè mali nullam habent capacitatem honestatis ex ratione specificæ, concedo; sicut probat argumentum; ex ratione communis & genericæ, nego min. & consequentiam.

Verum, ut observant Salmanticenses, hæc solutio nondum omnem exhaurit difficultatem. Nam in primis ad privationem non sufficit mera capacitas non repugnantia secundum gradum communem; alias equus haberet privationem rationalitatis, siquidem ex parte gradus communis & genericæ, ut est animal, non repugnat esse rationale. Neque secundo dici potest, formam oppositam deberi secundum gradum communem: quia prædicatum, quod generi debetur secundum



cundum gradum communem, non potest destrui per differentiam specificam superadditam: hæc quippe est sui generis perfectiva, non destructiva, & quæ de genere dicuntur, pariter dicuntur de qualibet specie contenta sub illo: siquidem genus est radix suarum proprietatum, & in suis speciebus actu includitur: quocirca esse sensitivum, quod convenit animali ut sic, prædicatur de ipso in omnibus speciebus contentis sub illo. Igitur, si rectitudo esset debita actui peccaminoso secundum gradum communem actus humani, etiam foret debita in specie peccati intrinsecè mali: consequens est absurdum: ergo & antecedens.

6. Exemplum de talpa allatum non videtur esse ad rem, primò quia visus ipsi non tam secundum specificam, quam individualement differentiam, ac materialem indispositionem repugnat: imò talpa [inquit S. D. I. 3. de anima lect. 1.] videtur habere oculos sub pelle: sed propter hoc, quòd convertatur sub terrà, non fuit ei necessarius visus: & si haberet oculos discooperatos, ejus oculos offenderet. Secundò, quia nec animali secundum gradum communem debetur visus, cum animalium alia sint perfecta, alia imperfecta: quorum ista non requirunt virtutem sentiendi per omnes sensus externos.

7. Igitur ad replicam secundam partem Resp. formam oppositam, nempe rectitudinem deberi secundum gradum communem debito non physico & naturali, sed legali morali, quo modo pariter distinguo probationem: Prædicatum debitum debito naturali secundum gradum communem, non potest destrui per differentiam specificam, concedo; debito legali, vel morali, nego. Ratio differentie inter debitum physicum seu naturale, & inter debitum legale, seu morale hæc est: Physicum est, quod fundat qualibet natura secundum sua principia physica respectu eorum, quæ ab ipsa dimanant, uti sunt proprietates ipsi-

us: debitum legale vel morale est, quod ab extrinsecò, nimirum à lege extrinsecò mensurante provenit. Illi opponitur privatio physica, huic moralis. Quod debetur gradui communi debito physico per modum naturalis proprietatis, non destruitur per differentiam specificam ob rationes adductas; potest verò destrui, quod debetur debito morali: quia potest lex præcipere, ut ex suppositione quòd voluntas procedat ad actum deliberatum circa determinatam materiam, procedat secundum ordinem rationis & in finem honestum, seu consonum rationi, ex quo actui secundum illud prædicatum commune actus humani debetur rectitudo & ordo rationis debito non physico & naturali, sed morali: quo non obstante potest voluntas ab isto ordine deficere, & actum inordinatum elicere, cui potentia consequenti repugnet rectitudo & ordo rationis, qui potentia antecedente, & juxta gradum communem actus humani fuerat debitus.

Instabis. Lex non est nisi de possibilibus: sed est impossibile, ut mendacium v. g. sit honestum, ergo per nullam legem huic actui deberi potest rectitudo honestatis.

Respond. Est impossibile potentia consequente, ut mendacium quòd tale ut peccaminosum sit honestum, concedo; est impossibile potentia antecedente ut mendacium, quatenus actus humanus habeat honestatem, nego antec. & consequentiam.

Colliges: Plures alias privationes cum peccato conjungi, vel actu, vel potentia. Nam primò in intellectu pratico reperitur privatio debite directionis, quæ causa est, quòd voluntas defectuose operetur. Secundò, si actus oppositus sit sub præcepto, tunc in voluntate per peccatum causatur privatio actus oppositi. Tertio, per peccatum mortale causatur privatio gratiæ sanctificantis, quæ etiam dicitur macula peccati seu peccatum habituale, de quo infra ex instituto.

## ARTICULUS II.

An ex auctoritate sit probabilius, formalem & essentialem malitiam peccati constitui per prædictam privationem?

## SUMMARIUM.

- |  |  |
|--|--|
| 1. Exponitur Sententia negans.   | 18. Præcluditur.   |
| 2. Ejus fundamentum ex S. Script. & Patribus.                              | 19. Exponuntur objecta S. Script. & SS. PP. testimonia.  |
| 3. Fundamentum ex D. Thoma.  | 20. Malitia moralis dividens moralitatem in genere, sumenda concretè.                              |
| 4. Contraria sententia statuens formalem malitiam in privatione asseritur. | 21. S. D. admittens formam positivam in peccato, loquitur de illo concretè & specificativè sumpto. |
| 5. Probatur Auctoritate S. Script. & SS. PP.                               | 22. Ordo positivus quomodo pertineat ad formale peccati.   |
| 6. Probatur multiplici testimonio Angelici D.                              | 23. Responderetur ad ultimum testimonium ex S. D.  |
| 7. Prima evasio de sensu metaphorico                                       |  |
| 8. Refellitur.   |  |
| 9. Secunda evasio de sensu nature substantialis                            |  |
| 10. Impugnatur.  |  |
| 11. Tertia evasio de aversione & defectu contrario                         |  |
| 12. Evertitur.   |  |
| 13. Quarta evasio de sensu causali   |  |
| 14. Depellitur.  |  |
| 15. Quinta evasio de malo respectivo                                       |  |
| 16. Evertitur.   |  |
| 17. Sexta evasio de privatione in fieri                                    |  |

## §. I.

## Auctoritates Sententiæ negantis.

IN hac questione ipsi etiam Thomistæ inter se dividuntur. Tamen enim nullus inficias eat, aliquam privationem debite rectitudinis & mensuram-



mensurationis ad rectam rationem reperiri in peccato, multi tamen insignes DD. tam ex auctoritate quam ratione probant, illam privationem ad constitutionem formalis malitiae insufficientem esse, quippe quæ per positivam tendentiam in objectum lege prohibita jam constituta præintelligitur & præsupponitur privationi debite rectitudinis, eamque causat. Ita Jo. à S. Th. Gonet, Godoyus, aliique, quos citant & sequuntur Salmanticenses Tract. 13. de pecc. disp. 6. dub. 4.

2. Probant primò auctoritate S. Script. & SS. PP. Nam S. Scriptura peccatum tam in communi quam in particulari sæpe explicat nominibus positivis transgressionis, prævaricationis, abominationis, fornicationis & conversionis &c. Jer. 8. *Apprehenderunt mendacium, & noluerunt reverti, omnes conversi sunt ad cursum suum &c.* Ezech. 8. *Conversus sunt ad irritandum me.* Job. 15. n. 15. *Tendit adversus DEUM manum suam, & n. 16. Cucurrit adversus eum erecto collo.* Item Jer. 2. factis clarè significatur præter malitiam privativam in peccato dari etiam positivam: *Me, inquit, dereliquerunt fontem aqua viva [quod est averti à DEO] & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas, ubi significatur conversio positiva in bonum commutabile.*

Similis est modus loquendi SS. PP. S. Basil. 2. Hexam. quid igitur est dicendum? *Nempe malum non essentiam viventem, animam, præditam esse, sed affectionem anime virtuti contrariam.* Ambros. L. de parad. peccatum vocat divine legis prævaricationem, & inobedientiam cælestium mandatorum. & maxime D. August. in definitione peccati jam præmissa: *Dicitur, factum, vel contemptum contra legem DEI.* D. Naz. Orat. 40. *malum morale vocat affectionem anime virtuti contrariam.*

3. Doctor verò Angelicus multis in partibus suæ doctrinæ videtur affirmare positivam peccati malitiam. Ipsi testimonio sunt triplicis generis. Primi generis sunt, quibus docet, malum morale esse quid bonum & positivum. Ita q. 1. de malo a. 1. ad 12. *Malum, inquit, positive aliquid dicit, secundum quod actus voluntatis denominatur malus a volito q. 2. a. 11. ad 13. peccatum, inquit, non est privatio pura, sicut tenebra, sed est aliquid positivum, &c.* p. q. 48. a. 1. ad 2. *Malum, quod est differentia constitutiva in moralibus, est quoddam bonum adjunctum privationi alterius boni.* Hæc S. D.

Secundi generis testimonia sunt, in quibus docet inter peccatum seu malum, & inter bonum morale dari oppositionem contrariam, quæ utique est positiva. Nam 2. 2. q. 6. a. 2. docet: *Deformitas [peccati] non solum importat privationem debite forme, sed contrariam dispositionem.* Et q. 1. de malo. a. 1. ad 4. *actus voluntatis, in quantum fertur in malum, recipit rationem mali, & hoc malum contrariatur proprie bono; & hæc contrarietas ex actibus in habitum transiit in quantum actus & habitus simulantur.*

Tertii generis sunt, quibus docet peccatum specificari per aliquid positivum: ita hic q. 72. a. 9. dicit, peccatum non fortiri speciem ex parte privationis, vel averfionis, sed ex conversione, h. e.

ordine transcendentali actus ad objectum: sed idem est constitutum, quod specificativum, ergo constitutum peccati est positivum. Ad id quod Godoyus tr. 3. disp. 25. §. 6. locum D. Th. ex 2. ad Annib. d. 34. q. un. a. 1. ad 1. ubi docet: *Ad 1. dicendum, quod cum aliquis peccatur pro malo quod facit, non punitur pro nihilo, sed pro hoc quod facit in sua actione nihilum, id est, ordinationis defectum.* Ex quibus inferitur: ergo aliquis punitur pro actu in quantum causante inordinationem: ergo actus seu tendentia in objectum quatenus causans privationem pro aliquo priori est mala moraliter.

## §. II.

## Statuitur Sententia opposita.

CONCLUSIO PRIMA. *Ex auctoritate probabilius est, formalem malitiam peccati consistere per aliquid privativum, quod sit privatio debite rectitudinis.* Ita Capreolus, Ferrar. Sylv. Philipp. à SS. Trin. Illustriss. Reding, Reverendissimus Maurus Oberascher disp. de act. hum. c. 3. §. 2. *Contentionis to, 3. dissent. 5. a. 2. spec. 2. affirmans esse perpetuam & constantem D. Thomæ doctrinam, & plures extra scholam D. Th. Hanc ipsam sententiam tenet Scotus subtilissimus, dist. 37. dicens: quod peccatum sit formaliter privatio boni, & D. Bonav. in eod. dist. 34. q. ult. ubi dicit, *Contingit loqui de malo, sive peccato abstractè [hoc est, formaliter secundum rationem mali] & hoc modo malum sive peccatum in re, sive predicatione for mali non est aliquid, sed nihil, quia non est ens, nec bonum, sed privatio boni.**

Probatur primò auctoritate S. Script. & SS. PP. Nam in S. Textu peccatum perpetuo significatur nominibus privationem exprimentibus. Ita Amos 6. *vocatur nihilum.* Il. 42. *caecitas.* Joan. 3. *tenebra.* Psal. 77. *Jer. 2. & 14. acerbitas.* Psal. 4. *vanitas & mendacium, &c.* E SS. vero Patribus, D. Dionys. c. 4. de divin. nomin. *Et quæ sunt, omnia quatenus sunt, & bona sunt, & a bono: quatenus autem privata sunt bona, nec bona sunt, nec constant. Non igitur in demonibus, aut in nobis malum inest, quasi sit aliquid malum, sed quod perfectionis bonorum propriorum & accommodatorum sit privatio.* Concludit: *Relinquitur ergo, malum imbecillitatem atque privationem boni esse.* D. Gregor. Nazianz. Orat. 40. *Credet, inquit, nullam mali essentiam esse.* Fulgent. l. de fide ad Petrum. c. 21. *Malum nihil aliud est, nisi boni privatio.* Damasc. l. 2. c. 14. *Nepes aliud quicquam est malum, quam boni privatio, haud secus nimirum, ac tenebra nihil aliud sunt, quam luminis orbis.* D. August. 11. de civit. c. 9. *Mali nulla natura est; sed amissio boni mali nomen accepit.* D. Anselmus nos ter. l. de conceptu. Virg. c. 5. *Sicut iniustitia non est aliud, quam absentia debite iustitiae, ita malum non est aliud, quam absentia debiti boni. Nulla autem essentia, quam absens mala dicatur, est nihil, nec malam esse est illi esse aliquid. Nulli enim essentia est aliud, quod debet essentiam esse, quam deesse illi bonum, quod debet habere, &c.* Plura ejusmodi testimonia videntur apud Sylv. Petavium, aliosque.

Nunc D. Thomæ quoque quam etiam receperunt simam fuisse in Schola D. Thomæ, & Ecclesiæ DEI



DEI sententiam, luculento testimonio confirmat id, quod refert Pallavicinus in hist. Concil. Trid. l. 7. c. 8. n. 3. cum disceptaretur de essentia peccati originalis; plerique probarunt, id quod F. Balthasar Eredia ex Ordine Predicatorum Episcopus ex S. Thoma etiam depromebat: *nimirum, quod licet omne peccatum universaliter loquendo, principaliter consistat & velut formaliter in privatione NB. debita rectitudinis opposita, secundum quam partem non est effectus, sed defectus, nihilominus subiectum talis privationis [sicut omnium aliarum privationum] est res vere subsistens. Pari modo igitur essentia peccati originalis. &c.* Ubi vides, hunc præclarum Thomistam ex suo S. Doctore pro explananda privativa essentia peccati originalis, fundamentum posuisse, quod quodlibet peccatum secundum suum formale, quo defectum nominat, in privatione consistat; idque probantibus plerisque Concilii PP.

## §. III.

*Refelluntur effugia Adversariorum.*

7. Respondent igitur primò ad auctoritatem S. Script. peccatum appellari nihilum in sensu metaphorico & morali, eò quod sit nullius valoris & existimationis apud DEUM, quo sensu in S. Script. etiam peccatores quandoque dicuntur ad nihilum redigi.

8. Sed contrà est primò, quod S. Script. & PP. etiam peccatum comparant *caecitati & tenebris*, quæ voces non tantùm morale, aut metaphoricam, sed veram privationem significant, atque secundùm communem Theologorum regulam verba S. Script. sunt in sensu litterali accipienda, quando cunque nullum sequitur inconveniens.

Contra est secundò, quod SS. PP. dicant, peccati nullam esse essentiam, vel naturam: sed nullitas essentia & natura non est mera nullitas moralis & metaphorica, sed est vera formalis carentia & privatio; ergo.

9. Respondent alii secundò. Cum SS. PP. dicant, mali seu peccati nullam esse naturam vel essentiam, ipsos loqui contra Manichæos & velle significare, quod malum non sit aliqua natura per se subsistens; non autem negare, quod sit aliqua entitas & habitudo positiva.

10. Sed contrà est primò. Qui vellet negare, quod accidens sit natura per se subsistens, ineptè diceret, accidentis nullam esse naturam, vel essentiam: ergo etiam SS. PP. si tantùm vellent negare, quod malum sit natura substantialis, ineptè dicerent, mali seu peccati nullam esse naturam, vel essentiam.

Contra est secundò. SS. PP. insuper dicunt, malum & peccatum esse meram boni absentiam, amissionem, privationem, ideoque comparant cum tenebris & caecitate. Sed ex eo quod ali-quod ens non sit substantia, nequaquam sequitur esse meram boni absentiam & amissionem, nihil esse aliud quàm boni privationem; particulæ enim universaliter negantes sunt malignantis nature, ut vocant Dialectici, & negant omnem essentiam ac bonitatem.

Contra est tertio, quod plures è SS. PP. allegatis, uti Greg. Damasc. Anf. nullum habent negotium cum Manichæis.

Contra est quartò. Natura tam accidentalis, quàm substantialis est à DEO formale peccati non est à DEO; ergo tam parum est natura accidentalis, quàm substantialis.

Respondent alii tertio. Defectum & aversionem aliquando accipi contrariè, aliquando privativè. Contraria aversio consistit in positiva tendentia contra DEUM, quæ in peccatis oppositis virtutibus Theologicis reperitur formaliter, in aliis verò virtualiter & interpretativè. Cum igitur S. Script. & PP. docent, peccatum esse defectum & aversionem à DEO, intelligendum hoc esse de defectu & aversione contrariè, non privativè.

Sed contrà est primò: quod hæc explicatio fit contra institutionem & usum utriusque termini, nempe defectus, & aversionis. Defectus quippe ex ipsa notione vocis significat absentiam alicujus debite perfectionis, aversio quoque formaliter non significat tendentiam in aliquid sed potius recessum & fugam ab aliquo; unde & frequenter in S. Script. dicitur *recessus, derelictio, abalienatio, aberratio* Jer. 2. Deut. 32. & pl. 77. exponitur per *non servationem pacti, averterunt se, & non servaverunt pactum*. Quod verò Salmanticenses dicunt, aversionem non tam ab avertendo, quàm averfando accipiendam, quod nominat quid positivum, gratis dicitur, neque ad Grammaticam crisin subsistit. Imò hinc sequitur, quod omne peccatum formaliter consistet in positivo actu fugæ, & non in conversione, quod est contra ipsos Salmanticenses.

Contra est secundò, quod illa positiva & contraria aversio non sit ad mentem S. D. nam S. D. peccati aversionem ab incommutabili bono contraponit conversioni ad bonum commutabile, tanquam formale contra materiale: atqui aversio contraria Adversariorum nihil est aliud quàm conversio ad commutabile bonum, nam secundùm ipsorum explicationem consistit in positiva tendentia in objectum divina legi contrarium; ergo illa aversio contraria juxta mentem S. D. non est formale sed materiale peccati. Maj. liquet tum è testimoniis præallegatis, tum ex 3. p. q. 86. a. 4. ad 1. ubi dicitur: *Culpa mortalis utrumque habet, aversionem à DEO, & conversionem ad bonum creatum: sed aversio à DEO est sicut formale, conversio autem ad bonum creatum, est sicut materiale.*

Contra est tertio. Illa contrarietas constituit formalem rationem peccati, quæ significatur in Augustiniana definitione, *dictum, factum, vel concupitum contra legem DEI*: sed hæc non est quid positivum; nam S. D. hic a. 6. in c. docet: quod per *ly contra legem* significetur carentia debite commensurationis, quæ se habet ut formale.

## §. IV.

*Confutantur alie tres evasiones Adversariorum.*

Respondent quartò maxime ad clarissimas auctoritates è S. D. caecitatem, tenebras, privationem rectitudinis, bonitatis, commensurationis dici de peccato in sensu causali, non autem formali: quod nempe peccatum sit radicaliter privatio, in quantum ipsa tendentia in objectum dissonum



dissonum rationi sit radix, ad quam in posteriori naturæ consequatur & resultat privatio debitæ commensurationis cum regulis rationis. Nihilominus ipsum formale peccati jam haberi in priori instanti antecedente resultantiam hujus privationis, in quo nimirum actus concipitur tendere in objectum difforme rectæ rationi.

14. Sed contrà est primò, quòd ad explicandam alicujus rei essentiam & naturam fallaciter & æquivocè adhibetur sensus causalis: nisi forrè per solos effectus deveniri possit in naturæ cognitionem. At SS. PP. & Angelici Doctoris propositum fuit explicare formalissimam naturam & essentiam peccati: non ergo in sensu causalis, sed formalis prædicatum privativum attribuere peccato.

Contrà est secundò. Qui affirmat aliquod prædicatum in sensu causalis, non ideo cum veritate potest de subiecto negare omne aliud prædicatum formale: e. g. qui in sensu causalis diceret humanæ naturæ differentiam esse risibilitatem [subintelligendo radicaliter] non ideo posset cum veritate dicere, humanæ naturæ differentiam profus nihil aliud esse, quàm risibilitatem, hoc ipso enim risibilitas prædicaretur de differentia humanæ naturæ etiam formaliter: atqui SS. PP. remouent à peccato omne aliud prædicatum positivum, eam dicunt, nullam esse mali essentiam, malum nihil aliud esse, quàm boni privationem &c: ergo non in sensu causalis, sed formalis loquuntur: aliàs quippe nullum relinquerent prædicatum formale constitutum peccati.

Contrà est tertio. Quòd termini reduplicantes, ac præcipuè Tò formaliter faciunt sensum formalem, non causalem: atqui S. D. eum de peccato affirmat privationem, utitur terminis reduplicativis, atque ipso Tò formaliter: ergo. Minor constat ex præallegatis textibus: dicitur enim, in quantum actioni aliquid deficit de plenitudine essendi, in tantum dici malum: ex hoc actum humanum esse malum, quòd caret debitâ commensuratione: omne peccatum formaliter consistere in aversione: privationem boni se habere formaliter, & conversionem ad bonum commutabile se habere materialiter in peccato: peccatum in quantum habet rationem peccati ex privatione rectitudinis, dici per privationem debitæ formæ.

Contrà est quartò, quòd hanc explicationem expressè rejicit S. D. q. 2. de malo, a. 9. ad 2. peccatum, inquit, est mors animæ effectivè, essentialiter verò est actus deformis & inordinatus. Ergo juxta doctrinam S. D. inordinatio, h. e. privatio debiti ordinis essentialiter & formaliter in quid prædicatur de peccato: id autem, quòd effectivè, seu causaliter de ipso dicitur, est mors animæ, h. e. privatio gratiæ & charitatis, seu macula, quæ remanet post peccatum.

Contrà est quintò, quòd in 2. Sent. dist. 34. a. 2. ad 4. dicit: Sicut albedo formaliter facit album, ita etiam formaliter privatio & corruptio corrumpit: malum verò per se sumptum est ipsa privatio: unde non sequitur quòd sit ens positivè dictum. Quæ sanè verba & comparatio cum albedine omnem præcludunt exitum effugio Adversariorum.

Celebris est vasio Adversariorum, quâ distingunt malum in absolutum & respectivum. Illud, ajunt, nihil profus bonitatis includere: istud verò includere aliquam bonitatem, & ita esse malum respectu alicujus naturæ, ut tamen possit esse bonum respectu alterius, veluti calidus quamvis sit malus respectu aquæ, in quantum est frigoris destructivus, aliâ tamen ratione est bonus. Hoc posito dicunt, in peccato repetitionem utriusque mali, & quidem per se primò rationem mali absoluti, Malum respectivum est, in quantum est habitudo & tendentia in objectum dissonum rationi, & hoc est ipse primarium ac essentialis: Malum absolutum est, in quantum in se habet carentiam & privationem debitæ commensurationis, quæ tamen cum genere supponat actum jam constitutum in genere & specie mali moralis, non est ipsum formale constitutum peccati, sed accidentale complementum illius. Cum ergo S. D. dicit, peccatum esse malum, in quantum est privatum debitâ rectitudine, ipsum [sicut & SS. PP.] intelligendum esse de peccato sub ratione mali absoluti, & simpliciter, non autem sub ratione mali respectivi, & hanc malitiam bene posse dici formalem, non quidem eo sensu, quasi peccatum in ratione peccati formaliter & primario constituitur; sed quia peccato in sua essentia jam constituto superueniens, idque formaliter denominans, illud formaliter secundario & consecutivè constituitur in ratione mali simpliciter.

Contrà hanc evasionem est primò. Quòd juxta usitatum acceptionem illa propriè sunt mala respectiva, quæ in se quidem sunt formaliter bona, & à DEO causata, sunt tamen & dicuntur mala solum respectu alterius subiecti, cui causant aliquem defectum & privationem suæ perfectionis, quemadmodum calor in se bonus, respectu aquæ dicitur malus, in quantum in ipsâ destruit connaturalem perfectionem frigoris. Et malum passivè dicitur respectivè malum, in quantum in eo qui punitur tollit aliquod bonum ideoque propriè causatur à DEO, juxta illud Amos 3. Si erit malum in civitate, quòd non fecit Dominus. Sicque idem esse respectivè, & causaliter malum. Atqui peccatum non tantummodo est malum causaliter, quia tollit à subiecto perfectionem debitam, nempe gratiam & charitatem, sed intrinsecè in seipso formaliter, & quidem formaliter in seipso est à DEO odibile & inefficibile: ergo non est malum respectivum, sed absolutum.

Contrà est secundò. Ratio mali ut sic in genere est formaliter privativa: ergo etiam formalis ratio peccati. Antecedens est receptissimum apud Philosophos, SS. PP. & D. Th. Consequentiâ probatur: Ratio generis analogi magis quam magis reperitur quàm in principali analogato: sed peccatum sub genere mali est principale analogatum, sive appelletur absolutum, sive respectivum: ipsum quippe est pessimum peccatum, quòd à DEO nullo modo causari, nec se cognosci, nec in ipsum referri potest: ergo etiam ratio peccati debet esse privativa.

Contrà est tertio. Peccatum vel ideo vocatur malum respectivum, quia est aliquis ordo & habitudo



bicudo ad objectum, vel quia illi ordini superadditur aliquis defectus. Non primum; quia totus ordo ad objectum est ens positivum, de genere predicamenti, à DEO effectibile: non secundum; quia defectuositas, quodcumque subjectum informet, & intrinsecè denominet, sive illud sit absolutum, sive respectivum [quod est ipsi planè per accidens] illud absolute malum, & defectuosum denominat: e.g. defectus claudicationis, qui est in motu tanquam ente respectivo, & què motum tibiè in seipso absolute defectuosum denominat, quàm gibbositatis defectus tergum, quod est ens absolutum, absolute defectuosum denominat. Cùm ergo peccatum sit malum ratione defectuositatis sibi intrinsecè, etiam dicendum est absolute malum.

17. Contrà est quartò. Dato non concesso, quòd peccatum rectè dicatur malum respectivum propter inclusam habitudinem ad objectum; tamen malum absolutum etiam per Adversarios formaliter consistit in privatione boni, quia non tantum causat, sed est in seipso formaliter malum, & exclusivum boni: sed non minùs peccatum est in seipso formaliter malum, priusquam causet aliquid malum: neque enim, ut dictum, proprietates & characteres mali alibi magis, quàm in peccato reperiuntur: ergo.

Sexta denique responsio, parum differens à priori est, quà distinguunt privationem, & dicunt aliam esse privationem in fieri, aliam in facto esse. Privatio in fieri in recto est aliquid positivum, causat tamen privationem in facto esse, quæ in recto non est aliquid positivum, quo modo dicuntur morbum lethalem esse privationem in fieri, mortem subsecutam esse privationem in facto esse. Cùm ergo S. D. dicit, peccatum formaliter constituit per privationem, ajunt ipsum loqui de privatione in fieri, quæ nimirum est positiva tendentia in objectum prohibitum, ex qua causatur privatio tum rectitudinis debite, tum ipsa mors animæ, quæ sunt privationes in facto esse.

Sed contrà est primò, quòd hæc responsio non nisi in modo loquendi differt à precedentibus: nam juxta hanc explicationem tantum esset privatio causalis, quatenus nempe causaret privationem, & esset malum respectivum, quod in recto diceret positivam essentiam, quæ omnia primùm sunt refutata.

18. Contrà est secundò, quòd juxta mentem S. D. q. 2. de malo a. 9, in c. etiam privatio in fieri non dicit in recto aliquid positivum, sed negativum, & hoc solo distinguitur à privatione in facto esse, quòd ista [quam vocat ibidem puram privationem] tollit totum bonum oppositum, ut mors; illa verò [quam vocat privationem non puram, quæ concipitur per modum tendentiæ ad puram privationem] relinquit aliquid de bono opposito, & conjungitur cum aliquo positivo. Ideoque respondens ad objectionem Stoicorum, dicentium omnia peccata esse æqualia, eò quòd privationes non recipiant magis, & minùs, dicit hoc axioma Philosophorum esse intelligendum de puris privationibus quæ privant toto bono opposito, non de privationibus non puris, quæ conjunguntur cum aliquo actu, & relinquunt aliquid de bono opposito; peccatum autem pertinere ad

R. P. Mezger, Theol. Schol. Tom. II.

genus privationis non puræ. Sicut ergo, inquit, non omnis deformitas corporis est æqualis, sed quedam est aliè major, secundum quod privatur plura ad decorem pertinentia, vel aliquid principalius; ita non omnis deformitas, vel inordinatio actus est æqualis, sed quedam est aliè major. Ita S. D.

Ex his, sicut etiam ex solutione testimoniorum quæ pro opposita sententiâ adducuntur, liquet, sententiam stantem pro privativo peccati majori auctoritatis pondere esse subnixam.

## §. V.

## Exponuntur opposita testimonia.

AD testimonia partim è S. Scriptis partim è 9. SS. PP. in contrarium adducta prompta est responsio, illa omnia loqui de materiali peccati, quòd formali malitiæ subternitur: certum quippe est, in omni peccato commissionis reperiri aliquem voluntatis actum, qui sit conversio in bonum commutabile, qui tamen ipse carentiæ debite rectitudinis & ordinis ad incommutabile bonum subternitur. At verò testimonia à nobis adducta cùm non possint exponi de materiali peccati [quis enim somniat, extra peccatum commissionis materiale peccati esse quid privativum?] accipienda sunt de formali.

Pro expositione testimoniorum, quæ adducuntur è S. D. recolendum est, quòd initio hujus disputationis dixi, peccatum commissionis, & malum morale non dicere solam malitiam abstractè, sed esse quoddam concretum accidentale ex actu tanquam materiali, & malitiâ tanquam formali. Unde sicut album significat subjectum habens albedinem, ita peccatum significat actum seu tendentiam in objectum habentem deformitatem malitiæ. Et quando moralitas dividitur in bonitatem & malitiam tanquam species subalternas, malitia non abstractè & solitariè, sed quatenus recepta in actu & tendentia voluntaris accipitur. Unde.

Respondeo, tria prima testimonia è S. D. op. 21. posita loqui de malo concretè, non abstractè, specificativè, non reduplicativè, seu sub ratione mali accepto: quo sensu verum est, malum & peccatum esse quid positivum ex parte substrati, & materialis: item esse quid bonum, & habere contrariam oppositionem cum actu bono & honesto, & ut sic accipere speciem ex parte positivæ conversionis. Ita loquitur ipse S. D. hic q. 75. a. 1. ad 1. Peccatum non solum significat ipsam privationem boni, quæ est inordinatio, sed significat actum sub tali privatione, quæ habet rationem mali. Et q. un. de Virt. in com. a. 2. ad 5. Malum non constituit speciem ratione privationis, sed ratione ejus, quòd privationi subternitur.

Ad subsumptum Resp. Idem est formale constitutum peccati quòd est specificativum ipsius in esse mali moralis & peccati ut sic, nego; in esse talis mali, & in tali determinatâ specie constituti, concedo. Cujus responsionis fundamentum est in S. D. in 2. dist. 34. a. 2. ad 3. ubi docet: Malum per se, vel abstractè sumptum non est differentia specifica, sed malum per accidens, vel concretè sumptum. Et rursus: Mala alio specificantur ex ordine ad finem indebitum, cui admiscetur privatio finis debiti, ex quo ratio mali incidit

A a

C c. Si



Et c. Similiter D. Bonaventura in 2. d. 42. a. 3.  
q. 1. *Etsi averso det conversioni, quod sit peccatum, conversio tamen dat aversioni, quod sit tale peccatum.*

22. Dices: Ex quo peccata formaliter distinguuntur, ex eo etiam formaliter constituuntur, idem quippe est formaliter constitutum, quod formaliter distinctum: atqui peccata per positivum transcendentalem ordinem ad objectum à se invicem formaliter distinguuntur: ergo etiam per eundem ordinem formaliter constituuntur.

Respond. ut prius dist. maj. eo formaliter constituuntur in esse talis determinati peccati concedo; in esse peccati ut sic, nego.

Instabis. Id, quo peccatum formaliter constituitur in esse talis peccati, non pertinet ad materiale, sed ad formale peccati: sed hoc ex concessis est ordo positivus ad objectum: ergo adhuc formale peccati est ordo positivus ad objectum. Respond. dist. maj. pertinet ad formale peccati concretè & specificativè sumpti, concedo; ad

formale peccati abstractè & reduplicativè sumpti quantum ad rationem peccati, nego: nam illud ordo & tendentia comparative ad ipsam malitiam, adhuc se habet tanquam aliquod substantivum ipsius.

Ad 4. testimonium nego utramque conclusionem. Non enim S. D. dicit, aliquem propter peccatum puniri, quia per suam actionem, aut illud medietate, sed quia in sua actione causat nihilum, quod nihil aliud est dicere, quam peccatorem id eo puniri, quia per suam voluntatem defectuosum rationis iudicio regulatam ponit actionem defectuosam, ita ut ille defectus [quem S. D. appellat nihilum, quia est privativus] una cum ipsa actione procedat à voluntate defectuosa; adeo ut ipsa voluntati tanquam effectivo principio respondeat illud omne quod est in actu physicam, sicuti tanquam principio defectivo & privativo respondeat illud omne, quod est in actu deforme & defectuosum.

## ARTICULUS III.

*An formalem malitiam peccati consistere in privatione debitæ rectitudinis sit probabilius ex ratione?*

### SUMMARIA.

1. Prima ratio pro privatio peccati petita ex intrinseca natura defectus.
2. Depellitur responso Adversariorum.
3. Confirmatur paritate peccati habitualis.
4. Ratione principii privativè defectivi.
5. Ab absurdo.
6. Fundamentum Theologicum ex incausabilitate à Domino DEO.
7. Impugnatur principalis distinctio Adversar. de sensu implicito & explicito.
8. Tanquam difformis doctrina Concil. & PP.
9. Non potest esse tantum distinctio quoad conceptum explicitum.
10. Hæc distinctio non subtrahit divinam causalitatem formalem deformatem peccati.
11. Altera responso adversariorum.
12. Impugnatur.
13. Positiva tendentia in objectum prohibitum non fundat privationem peccati.
14. Quomodo illa privatio ponatur per accidens?
15. Perfectiones vitalitatis, libertatis &c. etiam quæ tales sunt à DEO.
16. Impugnatur fictitia præciso Divina causalitatis ad extra.
17. Paradoxa paritas à Mysterio SS. Trinitatis.
18. Retorquetur.
19. Directè solvitur.

### §. I.

*Ponitur primum fundamentum pro privatio peccati.*

1. **F**undamentum primum in prædictis insinuat, est: Omnis defectus formaliter constituitur per absentiam & privationem perfectionis debitæ: sed peccatum & malum morale est quidam defectus moralis: ergo formaliter constituitur per privationem moralis perfectionis sibi de-

bitæ. Major, quæ probari potest inductione omnium defectuum tam naturalium, quam artificialium, etiam hæc ratione probatur: Vel entitas positiva habet omnia sibi in suo genere debita, vel non habet; si habet, eo ipso concipitur perfectum; quia perfectum est, cui nihil sibi in suo genere debitum deest; si non habet, per hoc ipsum per se primò concipitur defectuosum, quod aliquid perfectionis sibi debitæ deest, & hoc utique est privatio: atqui perfectio actui humano in genere moris debita est reductio moralis: ergo actus peccati per hoc formaliter constituitur defectuosus, quod ipsi desit perfectio, adeoque quod sit privatus morali reductio.

Dices iterum: In signo antecedente privationem actum peccati concipi defectuosum contrariè, non privativè: sed præter impugnationem hujus distinctionis superius adductæ contra est quod intrinsecè in seipso est malum & intrinsecè in seipso caret perfectione sibi debitæ, non tantum contrariè aut causaliter, sed formaliter privativè est defectuosum; sic enim malum tantum naturale, quam artificiale & intrinsecè tale constituitur per defectum privativum perfectionis sibi debitæ: aut enim habet omnia sibi debita, & est perfectum, aut non habet, & quæ ratione non habet, habet privationem alicujus debitæ perfectionis; atqui peccatum pro omni signo quo concipitur formaliter in ratione peccati, est in seipso intrinsecè formaliter malum, & intrinsecè in seipso irreductum carens perfectione morali sibi debitæ, Deo odibile, inideabile, improductibile à DEO, irreferibile in DEUM: ergo etiam est privativè defectuosum.

Confirmatur primò. Peccatum habitualis, quia est macula & deformitas habitualis, formaliter consistit in privatione honestatis & reductio-



divinis habitualis: ergo quia peccatum actuale est quaedam deformitas actualis, consistit formaliter in privatione debitæ rectitudinis actualis.

4. Confirmatur secundò. A principio privativè defectivo quâ tali habetur etiam effectus seu terminus privativè defectivus: atqui peccatum procedit à principio formaliter & privativè defectivo, nempe à voluntate destituta debitâ regulâ practicâ rationis: ergo est defectus formaliter privativus. Major constat inductione: nam à principio respectivo quâ tali procedit effectus respectivus, ab absoluto absolutus, à positivo positivus.

5. Confirmatur tertio. Malitia peccati non potest sequi ex vi alicujus entitatis positivæ: ergo multò minus potest formaliter consistere in positivo, & identificari cum illo. Antecedens probatur: si malitia sequeretur ex vi positivæ entitatis, tunc DEUS esset causa peccati formaliter: sed hoc dicere est impium & damnatum à Trid. sess. 6. can. 6. Sequela probatur: quia qui est causa causæ formaliter, etiam est causa causari: sed si malitia peccati sequitur ex vi entitatis positivæ, tunc DEUS est causa causæ peccati formaliter, nempe entitatis, ex vi cujus peccatum sequitur: ergo etiam esset causa peccati formaliter; sicuti, si ex vi denegationis aut subtractionis gratiæ sequeretur peccatum, DEUS, qui subtrahit gratiam, esset & diceretur causa peccati.

## §. II.

*Alterum fundamentum Theologicum.*

6. Ratio secunda principalis & Theologica est: Omnis entitas positiva præter DEUM est à DEO: peccatum formaliter non est à DEO: ergo peccatum formaliter non est entitas positiva. Maj. nemo Catholicorum DD. negat, minor constat ex Trid. sess. 6. can. 6. ergo.

Confirmatur primò, quicquid positivæ entitatis in tempore ponitur, illud est ideatum in æternâ DEI scientiâ causatrice rerum: sed est impossibile, ut formale peccati sit ideatum in scientiâ æternâ DEI, rerum omnium causatrice: ergo. Majorem suppono ex communi præsertim Thomistarum in Tract. de DEO uno. Min. verò probatur: quicquid est ideatum in DEI scientiâ rerum causatrice [ut argumentatur Illustrissimus Reding] ad illud scientiâ DEI habet se affirmativè & positivè, non negativè, vel averfativè; ideoque pertinet ad scientiam approbationis sitque objectum voluntatis beneplaciti: sed ista de formali peccati verificari non possunt: siquidem hæc scientiâ & voluntas beneplaciti est tantummodo de bonis; formale verò peccati est essentialiter malum & objectum divinæ abominationis, nec cadit nisi sub scientiam & voluntatem permissionis, veluti loco citato dictum est: ergo.

Confirmatur secundò. Quamvis materia prima in Thomistarum sententia careat omni proprio actu, nec sit ratione sui appetibilis, tamen quia est vera positiva entitas, verè causatur à DEO, estque participatio entitatis divinæ: ergo æque formale peccati causatur à DEO, estque participatio entitatis divinæ, si consistat in positiva & quidem actuali entitate, eamque essentialiter includat.

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.

Respondent Adversarii primò. Omne ens positivum est à DEO, & ideatur in scientia affirmativa seu approbativa DEI, secundum rationem entitatis & bonitatis in ipso transcendentaliter ac implicite inclusam, concedo; secundum omnem rationem etiam explicitam ipsius, nego: sed peccatum formaliter non est à DEO, secundum rationem implicitam & transcendentalem entis, nego; secundum rationem explicitam deformitatis & malitiæ, concedo, & nego consequentiam.

Sensus distinctionis est, quòd quidem deformitas malitiæ sit aliquid positivum identificatum cum entitate adûs; formalitas tamen deformitatis sit virtualiter secundum conceptum explicitum & implicitum distincta ab ipsa entitate, quemadmodum ens, unum, verum, bonum inter se distinguuntur, & ita entitas quidem implicite inclusa in deformitate peccati sit à DEO; formalitas tamen deformitatis & malitiæ explicita non sit à DEO.

Sed contrà est primò: quòd hic modus respondendi non est conformis doctrinæ Concilii PP. & DD. antiquorum universim negantium, DEUM esse authorem peccati quoad formale ipsius: secundum hanc autem doctrinam esset author etiam quoad formale, & tantum non quoad conceptum explicitum.

Contrà est secundò: Vel ponis intrinsecam distinctionem virtuales inter entitatem & deformitatem formalem peccati, vel tantum connotativam & extrinsecam. Non intrinsecam; siquidem illius fundamentum est intrinseca perfectio, & eminentia entitatis, ut fatentur Salmanticenses, quæ in peccato seu malo morali nullum habet locum. Si verò extrinsecam, tunc alia esse non potest, nisi propter connotationem diversi principii, in quantum peccatum, ut est entitas, sic connotat principium effectivum; ut est malitia, sic connotat principium defectivum. Atqui hæc connotatio probat distinctionem realem, non virtuales: ergo nulla est hæc distinctio virtualis. Subsumptum probò: A principio quâ defectivo non sequitur nisi effectus privativus, cum defectuositas ex parte principii sit etiam privativa, ut jam primò ostensum est: ergo si malitia distinguitur ab entitate peccati propter connotationem principii defectivi, distinguitur ab illo tanquam effectus privativus ab effectu positivo, adeoque tanquam non ens ab ente: sed hæc est realis non virtualis distinctio: ergo. Anteced. confirmo ab exemplis: tibia quâ curva, h. e. privata naturali rectitudine & conformitate, causat claudicationem non quatenus motus est, sed quatenus carens debitâ rectitudine & conformitate ad exigentiam potentiæ progressivæ, manus ut destituta regulis scribendi causat scriptionem, non ut scriptio est, sed ut est privata debitâ rectitudine characterum, & conformitate ad regulas scribendi: ergo pariter voluntas ut destituta rectâ regulâ rationis causat peccatum non ut effectus est & positiva tendentia, sed ut est privativus defectus & carentia moralis rectitudinis.

Contrà est tertio, quòd datâ non concessâ hæc

La 2

virtuali



virtuali distinctione adhuc etiam explicita ratio peccati esset à DEO, nec proinde salvaretur, quòd DEUS non esset author peccati formalis. Antecedens probatur: Causa quæ dat esse, dat simul omnia prædicata identificata cum illo esse; sed DEUS daret esse malitiæ formalis; ergo etiam daret omnia prædicata identificata cum illo esse, quorum præcipuum est reduplicativa ratio malitiæ & deformitatis. Maj. patet ex recepto Philosophorum axiomate: Qui dat esse, dat etiam consequentia ad esse: quantò ergo magis dat identificata cum ipso esse? &c.

Confirmatur. Quantò efficacior virtus est in aliquo agente, tantò efficacius penetrat omnes differentias & modos entis: si ergo causa creata, quæ est finita virtutis & efficacia, suâ operatione productivâ attingit non tantùm prædicata identificata cum effectu productò, sed etiam proprietates ipsius; multò magis hoc convenit agenti divino, quod est infinitæ efficacia.

11. Respondent secundò præcipuè ad hanc impugnationem: Causa seu agens attingit omnia prædicata identificata cum esse effectûs, si illa contineantur intra sphæram activitatis illius agentis, concedo; si non contineantur, nego. Sed deformitas peccati est prædicatum, quod nequaquam continetur intra sphæram divinæ activitatis, quippe agentis effectivi, sed tantùm intra sphæram liberi arbitrii, quatenus agentis defectivi; sed sic non sequitur, illud attingi à DEO. Si petas: quare illa moralis deformitas sit extra sphæram activitatis divinæ? dicent: eò quòd non sit referibilis in DEUM ut finem ultimum.

12. Sed præter nullitatem distinctionis virtualis, quam hæc responsio supponit, impugnatur primò, quòd hoc modo responderetur idem per idem; idem quippe est dicere, esse extra sphæram activitatis, ac non esse producibile ab aliquo, de quo ipso disputatur. Illud certè continetur intra sphæram activitatis divinæ, quod continetur intra adæquatum objectum omnipotentis & prædictæ scientiæ DEI; sed si peccatum secundum suum formale est ens positivum, tunc continetur intra adæquatum objectum omnipotentis divinæ; hoc enim est ens ab alio in tota sua latitudine, sed formale peccati est ens ab alio, quia utique non est ens à se: ergo pertinet ad objectum omnipotentis divinæ.

Neque irreferibilitas in DEUM solvit difficultatem, nam eadem est difficultas, cur peccati malitia sit irreferibilis in DEUM, [cùm tamen sit entitas positiva] ac cur non sit producibilis à DEO; siquidem entitates rerum tantùm suppositâ emanatione ex divina omnipotentia & participatione entitatis divinæ sunt referibiles in DEUM, atque in DEO rationes primæ causæ & ultimi finis sunt inter se convertibiles.

Impugnatur secundò. Illud omne ens pertinet ad sphæram activitatis divinæ, & consequenter est referibile in DEUM, ad quod extenditur causalitas causæ primæ: sed ista extenditur ad explicitam formalitatem malitiæ, si peccatum formaliter consistat in positivo: ergo. Min. probatur: Ad omnem illam formalitatem causalitas divina extenditur, in qua formalis terminus ipsius, nempe ratio entis, essentialiter reperitur: sed

iste reperitur in explicita ratione malitiæ: ergo Major à pari, & inductione constat: nam ad explicitas rationes relationis, libertatis, Vitiandi, &c. causalitas divina extenditur, quia in ipsa implicita ratio entis essentialiter & formaliter inclusa reperitur.

Impugnatur tertio. Si divina causalitas non attingeret explicitam rationem malitiæ & deformitatis, vel attingeret communem rationem entis ut sic, vel illam ut contractam ad ultimam differentiam specificam. Primum est absurdum, quia communis & abstracta ratio entis est minima producibilis, quàm idea platonica. Si secundum; ergo attingitur explicita ratio malitiæ, quippe quâ mediante analogia ratio entis inclusa ad determinatam speciem malitiæ datur.

Conf. Implicat per Divinum concursum attingi genus, quin attingatur specifica differentia: ergo implicat quoque produci analogam rationem entis, quin eodem concursu producatur ultima differentia malitiæ, cùm genus analogum in ultimis differentiis formaliter includatur.

Adhuc instabis: Etiam DEUS sit causa omnium entitatis positivæ, non ideo est causa & author omnis explicitæ formalitatis in illa contentæ: ita e.g. ipse actus peccati, & formalis tendentia in objectum legi Divinæ contrarium causans & fundans privationem debetæ rectitudinis, est à DEO, & tamen non est à DEO quatenus exprimit fundamentum & causalitatem hujus privationis, non enim minus est absurdum, admittere, quòd DEUS sit causa formalis malitiæ quæ talis, quàm quòd sit causa malitiæ fundamentalis quæ talis. Secundò. Actus vitalis ratione suæ entitatis est à DEO, & tamen non est à DEO secundum prædicatum explicitæ vitalitatis, quia actus quatenus vitalis est à principio immanenter conjuncto. Idem dixeris de actu libero aut rationis quæ tali: ergo etiam in peccato formalis tamen illud consistat in positivo, non sequitur, quòd si DEUS sit causa positivæ entitatis, sit præter causa omnis formalitatis explicitæ, & in illa contentæ.

Respond. neg. min. & probationis majoris neque enim est ulla positiva formalitas in reum natura, quæ non sit reducibilis in DEUM ut causam primam. Ad primam instantiam nego positivum, quòd actus & tendentia fundent vel causent privationem; hoc quippe oritur ex sola imaginatione, quasi privatio ita debeat referri ex positione alicujus fundamenti, sicut relatio.

Dices: Privatio rectitudinis non ponitur nisi ad positionem actûs & tendentiæ in objectum, ergo illa tendentia est fundamentum ipsius. Antecedens probatur: quod tantùm per accidens producit, id producit ad positionem alterius, tanquam in aliquo priori naturæ præsupposito, ut patet in relatione; sed privatio tantùm produci potest per accidens: ergo producit ad productionem vel positionem alterius in priori naturæ.

Respond. dist. antecedens; non ponitur nisi ad positionem actûs, tanquam ex ipso in posteriori naturæ resultans, nego; tanquam in eodem



signo naturæ concomitans eumque veluti suum substratum materiale informans, concedo antecedens, & nego consequent. Ad probationem antecedentis nego absolute majorem: nam ad rationem causæ per accidens sufficit, quod præter ipsius intentionem sequatur effectus, sive deinde ille effectus sequatur ad productionem alterius effectus, sive producatur per modum removens prohibens. Sic v. g. ut in aëre resulent tenebræ, sufficit solem recedere, aut lumen extinguere, nullo posito effectu ex parte aëris, ipsoque aëre non se habente per modum fundamenti sed tantum subiecti recipientis. Ita pariter privatio debitæ regularitatis actum non respicit tanquam fundamentum, sed tanquam subiectum & substratum. Et unde hoc? quia principium est defectuosum, nempe voluntas est destituta recto iudicio & regulâ operandi. Unde ipsa ratio deficiens in regulando se habet tanquam removens prohibens, removens nimirum debitum dictamen & regulam, quam si voluntas habuisset, etiam rectam operationem eliciuisset. Hæc verò destituta non nisi defectuose operatur, quemadmodum defectus claudicationis in tibia reducit in defectum virtutis motricis, quæ si haberet omnem sufficientiam, etiam motus tibie esset rectus, & consequenter illius deformitatis fundamentum & radix non est motus, sed carentia debitæ virtutis.

15. Ad cæteras instantias nego, actum vitalem, liberum, visionis, &c. quæ talem non esse à DEO: sunt quippe à DEO secundum omnem realem perfectionem, absurdum quippe est dicere, aliquas creatas perfectiones esse à se & incausatas: sed explicitæ rationes vitalitatis, visionis, &c. sunt perfectiones & quidem simpliciter simplices: ergo sunt à DEO.

Dices, Actus vitalis quæ talis procedit à principio conjuncto, quod immanenter perficit: sed DEUS non est tale principium: ergo quæ talis non procedit à DEO. Respond. dist. maj. procedit sic à principio conjuncto & dependenter à primo principio, concedo; independenter nego: ergo quæ talis non procedit à DEO, nego consequentiam.

Instabis, Actus non est vitalis nisi per ordinem ad principium quod intrinsecè perficit: sed hoc non est DEUS: ergo non est vitalis per ordinem ad DEUM. Ergo quatenus vitalis non est à DEO. Respond. primò, neg. maj. nam hoc totum, quod procedat à principio conjuncto, idque immanenter perficiat, habet dependenter ab influxu causæ primæ. Respond. secundò, gratis dist. maj. actus non est vitalis nisi per ordinem ad principium quod immanenter perficit; non est denominativè, h. e. non denominatur vitalis, concedo; non est entitativè & productivè, hoc est non terminat productionem, nego: & similiter distincto consequente, nego consequentiam. Nam aliud est esse, aliud denominari: perfectio reduplicata vitalitatis uti & libertatis, visionis, &c. est dependenter tam à causâ primâ, quàm secundâ, non tamen causam primam denominat vitaliter operantem, videntem, &c. quia ipsam non intrinsecè perficit. Et sic ad summum probaret Advers. quod DEUS non diceretur peccare concurrente ad formale peccati, non tamen proba-

ret, quod non esset causa peccati; siquidem divina causalitas non minus in peccato formali reperiret suum formalem terminum nempe rationem entis quàm in vitalitate, libertate, &c.

## §. III.

## Corollaria.

Colliges primò. Nullatenus esse admittendum. 16. **C**dam virtutem præcisivam divinæ causalitatis, & productionis ad extra, quam Adversarii confingunt ad salvandas difficultates, & per quam dicunt in eadem indivisibili entitate attingi unam formalitatem, quin simul attingatur altera formalitas identificata cum ipsa. Nam primò ex dictis, productio rei attingit terminum ut est, & quanto est efficacior, tantò plura attingit, non solum identificata, sed etiam consequentia ad esse ipsius: ergo, cum causalitas divina sit infinitæ efficacitæ in effectu, attingit omnia realiter identificata cum ipso. Secundò, In sententia Thomistarum ipsa DEI scientia est causa rerum: sed scientia DEI non est præcisiva: ergo neque causalitas. Min. probatur: tum quia virtus præcisiva cognitionis, qualis reperitur in nostro intellectu, non ex sola perfectione, sed etiam imperfectione cognitionis oritur: atqui in DEI scientia nulla est imperfectio: tum quia scientia comprehensiva attingit absque præcisione omnia prædicata etiam virtualiter distincta: sed DEI scientia respectu rerum creaturarum est talis: ergo. Tertiò, Quia si causalitas divina attingeret solum rationem entitatis, produceret ens ut abstractum à suis differentiis, quod implicat.

Dices, Etiam si Divinæ personæ cum natura 17. intimè identificentur, tamen virtus productiva personæ non est productiva naturæ, ut supra ex Tract. de Trin. quia nempe natura est extra spheram virtutis productivæ: ergo pariter, quia reduplicata deformitas peccati est extra spheram productivam divinæ omnipotentæ, potest illa producere entitatem non productâ deformitate peccati.

Respond. primò retorquendo argumentum. 18. **S**i per impossibile virtus productiva in Patre pro formali & adæquato termino respiceret ens Divinum in tota sua latitudine, non minus natura, quàm personalitates cum ipsa identificatæ producerentur: ergo cum Divina Omnipotentia pro formali & adæquato termino respiciat totum ens creabile in tota sua latitudine sub communissima ratione entis, etiam producit quicquid est identificatum cum ente. Rursus: Natura in divinis vi productionis saltem communicatur; atqui formale peccati ne quidem à DEO communicari potest. Item argumentor ad hominem contra Gonettum: si deformitas peccati essentialiter identificat sibi positivam entitatem, ab eaque solum virtualiter distinguitur, tunc factâ quâcunque reduplicatione, & sub explicito conceptu, essentialiter est ens creatum: ergo etiam sub explicito conceptu est à DEO. Antec. prob. ex prædicto Authore in Tr. de Trin. Disp. 3. a. 2. §. I. in fin. *De quocunque affirmatur ens & negatur ens Divinum, affirmatur ens creatum, non solum in re, sed factâ quâcunque reduplicatione: alioquin*



quia Divina relationes sub tali reduplicacione essent purum nihil, aut merum ens rationis. [Sunt verba ipsiusmet Gonet] sed de formali peccati, juxta Advers. affirmatur ens, & negatur ens Divinum: ergo de formali peccati non solum in re, sed facta quacunque reduplicacione affirmatur ens creatum: aliàs sub tali reduplicacione esset purum nihil, aut merum ens rationis: ergo formale peccati facta quacunque reduplicacione est à DEO. Rursus, ut habet idem Author loc. cit. Reduplicatio, & virtualis distinctio relationis Divinae ab essentia non impedit, quin de illa essentialiter pradicetur ratio entis ut sic, & consequenter unum ex membris dividendis, nempe ens Divinum: ergo etiam reduplicatio & distinctio virtualis deformitatis peccati à positiva tendentia actus in objectum, non tollit quin de ipsa essentialiter pradicetur ratio entis ut sic, & consequenter unum ex membris dividendis, nempe ens creatum & productum.

19. Respondeo secundò directè ad objectam paritatem, negando causalem adductam [imò quid est in Divinis esse extra sphaeram virtutis productivæ, quàm non esse terminum illius virtutis? ab illa non posse produci? cujus ipsius danda est ratio?] ratio enim, cur natura Divina non producat, est, quòd principium producens principaliter respicit formam pro termino assimilationis seu communicationis, esse verò personale pro termino productionis. Cùm ergo in Divinis ob infinitatem absolutæ perfectionis forma seu natura aliter quàm per identitatem communicari non possit, ideo natura non producit, sed identicè communicatur, hypostasis verò, in quâ oppositio relativa reperitur, illa producit. Quæ cùm in nullo creato, minùs in peccato re-

periantur, ruit totum fundamentum illius gignente paritatis.

Colliges secundò. Formalem malitiam peccati omissionis non posse consistere in positivo. Sequitur ex dictis: nam malitia omissionis vel nullum, vel non nisi remotè & indirectè requirit aliquem actum indeterminatum, qui saltem per accidens sit causa vel occasio omissionis; si ergo formalis malitia peccati commissionis, quod tamen per se & directè pro suo subtrato requirit aliquem actum positivum determinatum, consistit in privativo, multò magis malitia peccati omissionis consistit in illo, & quidem non solum in privatione rectitudinis, sed in privatione ipsius actus præcepti.

Dices primò. Etiam malitia peccati omissionis est aliqua species moralitatis; sed species moralitatis est quid positivum: ergo. Secundò. Liberum & voluntarium sunt denominationes & formalitates positivæ: atqui peccatum omissionis est liberum & voluntarium: ergo.

Respond. ad primum. est aliqua species moralitatis indirectè, & reductivè, concedo; per se directè, nego: sed species moralitatis directæ per se est quid positivum saltem ratione sui subtrati, concedo; indirectè, nego minorem & consequentiam.

Ad secundum quoque dist. maj. Liberum & voluntarium directum sunt denominationes positivæ concedo; liberum indirectum, nego: atqui malitia tam in peccato omissionis, quàm commissionis est solummodò libera indirectè; siquidem nemo intendens malum operatur, cum hæc tamen distinctione, quòd in peccato commissionis habeat de subtrato actum directè liberum voluntarium, quem non requirit in peccato omissionis.

## ARTICULUS IV.

### Fundamenta & Rationes pro positivo peccati diluuntur.

#### SUMMARI.

1. Primum fundamentum Adversar. à prioritate positivæ tendentiæ.
2. Responso de malitia fundamentalis
3. Impugnatur.
4. Negatur fundamentalis malitia & prioritas positivæ tendentiæ.
5. Altera Objeçtio Philosophica
6. Retorquetur.
7. Solvitur.
8. Bonitas & malitia formalis sumpte concretè dividunt genus moralitatis.
9. Tertia objeçtio ex contrarietate cum lege
10. Retorquetur.
11. Solvitur.
12. Quarta objeçtio ex contrarietate boni & mali
13. Solvitur.

#### §. I.

Prima fundamentalis ratio expenditur.

1. Porissimum contrariæ sententiæ fundamentum est primò. Prius concipitur actus formaliter malus, quàm privatus debitæ rectitudine;

ergo formalis malitia non consistit in hac privatione. Anteced. probatur: Pro illo signo & instanti rationis actus concipitur formaliter malus, pro quo concipitur difformis rectæ rationi; sed pro signo antecedente privationem debitæ rectitudinis actus jam concipitur difformis rectæ rationi: ergo. Minor iterum probatur: In quo signo actus concipitur tendere in objectum dissonum rectæ rationi, in illo signo concipitur difformis rectæ rationi: sed in signo antecedente privationem concipitur actus tendere in objectum dissonum rectæ rationi; quamprimum enim actus concipitur exire à voluntate cum advertentiâ inhonestatis objectivæ, jam hoc ipso concipitur tendere in objectum dissonum rectæ rationi: ergo.

Respondeo neg. antecedens. Ad cujus probationem plerique respondent, posse quidem in signo antecedente privationem concipi tendentiam actus in objectum dissonum rectæ rationi sed tunc concipi malum & difformem rectæ rationi, non formaliter, sed fundamentaliter.

Verum



3. Verum hæc responsio varias patitur difficultates. Contrà enim est primò. Pro quo signo rationis concipitur actus tendere in objectum consentaneum rectæ rationi, pro eodem signo secundum Adversarios est formaliter bonus: ergo etiam pro quo signo actus concipitur tendere in objectum dissentaneum rectæ rationi, est formaliter malus & difformis rectæ rationi.

Contrà est secundò. Pro illo signo tendentiæ in objectum dissonum rectæ rationi actus est in certa specie morali constitutus, v. g. voluntas furandi, pro quo signo tendit in acceptionem rei alienæ lege & ratione prohibitam, jam est in specie injustitiæ constituta: ergo etiam est constituta in specie subalterna mali moralis, cum sit impossibile, aliquid esse in specie infima constitutum, priusquam sit in specie subalterna, e. g. implicat aliquam substantiam esse hominem, priusquam sit in gradu animalis constituta.

Contrà est tertio. Vel DEUS est causa istius fundamentalis malitiæ, consistentis in positiva tendentiâ, vel non est. Non primum: tum quia sic DEUS esset saltem mediata causa formalis peccati; qui enim est causa causæ, etiam est causa causati, unde etiam DEUS non potest esse causa habitus vitiosi: tum quia illa tendentiâ non aliâ ratione esset fundamentum malitiæ, nisi quatenus à voluntate deficiente procedens: sed comparative ad DEUM non est ut à principio deficiente: ergo fundamentalis malitiæ DEUS auctor esse non potest. Non etiam secundum dici potest: quia si datur fundamentalis malitiâ in positivo consistens, quæ tamen formaliter explicite non sit à DEO, tunc falsum est illud principium, in quo fundamur, quòd nempe omnis entitas positiva etiam secundum explicitas formalitates sibi identificatas sit à DEO, & eodem jure licebit dicere, formalem malitiâ, tamen si consistat in positiva tendentiâ, secundum explicatam tamen rationem malitiæ quatenus condotantis principium deficiens, sic non esse à DEO.

4. Relictâ igitur hæc responsione, nego min, tam argumenti quàm probationis. Et dico cum Philippo à SS. Trin. disp. 6. dub. 3. ad 2. quòd in eodem signo, in quo concipitur actus exire à voluntate cum sufficienti advertentiâ ad inhonestatem objecti, eo ipso quoque inordinatè & defectuosè exire concipiatur; siquidem exit à voluntate non tantum ut à principio efficiente, sed etiam deficiente. Unde nego, dari aliud fundamentum aut radicem proximam malitiæ, quàm voluntatem destitutam debitâ directione rationis practicæ. Ita S. D. verbis perspicuis hic q. 75. a. 1. Provenit, inquit, defectus ordinis in actu ex defectu directionis in voluntate. *Voluntas sine adhibitione regulae rationis, vel legis divinæ est causa peccati.* Unde non debet concipi privatio rectitudinis resultare ex actu contrariante legi & rectæ rationi, sicuti concipimus relationem resultare ex fundamento, quasi actus exerceret aliquam causalitatem emanativam respectu hujus privationis, sed ipsa concomitatur actum, quem informat, in ipso suo elici.

Instabis. Ideo actus est privatus debitâ rectitudine, quia tendit in objectum dissonum rectæ rationi: ergo actus per prius tendit in objectum

dissonum rationi, quàm sit privatus rectitudine.

Respond. dist. anteced. ideo est privatus rectitudine, quia tendit in objectum tendentiâ defectuosâ includente privationem rectitudinis, concedo; tendentiâ præscindente ab illa, sic nego anteced. & consequent. nam *ly ideo non semper significat consequentiam causalitatis, sed aliquando tantum illationis.* Ut si dicas: *Leo ideo est animal, quia est brutum; sum rationalis, quia sum homo.* Nam & ratio bruti animalitatem, & humanitas rationalitatem includit. Pari sensu dicitur, actus est privatus debitâ rectitudine, quia tendit &c. tendentiâ nimirum includente, non causante irreductibilitatem privativam.

Si dicas. Actus bonus per suam positivam tendentiâ est rectus & bene ordinatus: ergo actus malus moraliter per suam positivam tendentiâ est irreductus, & inordinatus. Respond. negando consequentiam: quia esse rectum & commensuratum, ceu prædicatum positivum & respectivum, bene potest convenire positivæ tendentiæ; ac irreductio & inordinatio eum sit prædicatum privativum [urpote formaliter exclusiva debiti ordinis, & inefficibilis à DEO] non potest idem esse cum tendentiâ positiva secundum dicta.

## §. II.

*Alia objectiones solvuntur.*

Ratio secunda Philosophica est: Quicquid dicitur de genere, id dicitur de qualibet specie contentam sub illo; sic quia de animali prædicatur esse sensitivum, prædicatur etiam de qualibet specie animalis: sed de moralitate ipsi diximus illam consistere in positivâ habitudine ad objectum: ergo idem dicendum de speciebus moralitatis. Atqui immediatæ species moralitatis sunt bonitas & malitiâ moralis, & quidem non materialiter sed formaliter sumptæ: ergo non solum bonitas, sed etiam malitiâ moralis formalis consistit in positivo.

Respond. primò retorquendo argumentum ad hominem: quicquid dicitur de genere, dicitur de quolibet contento sub illo: sed de malo absolute in genere affirmatur quòd sit privativum: ergo etiam affirmandum est de quolibet contento sub genere mali. Atqui peccatum ceu malum morale est aliqua species contenta sub malo ut sic: ergo est quid privativum. Negant quidem Salmanticenses disp. 6. dub. 4. §. 7. dari communem rationem mali, in qua omnia mala conveniant. Ratio, addunt, perspicua est; quia positivo & privationi nihil potest esse commune.

Sed quid si & nos diceremus, non dari communem rationem moralitatis respectu bonitatis & malitiæ formalis, sed [ut plures loquuntur] tantum respectu bonitatis & malitiæ fundamentalis, hæc ipsa de causâ, quia positivo & privativo nihil potest esse commune. Nunquid dicerent, responderi per id quod est in questione, nempe an constitutum formalis malitiæ sit aliquid privativum? Quod igitur ipsi nobis, hoc & nos ipsis in eodem loquendi modo solvendum reputamus.

Respondeo secundò concedendo totum. Subsumptum distinguo, sed malitiâ moralis concretè sumpta



sumpta est species moralitatis, concedo; abstractè, nego subsumptum: & pariter distincto consequente, nego consequentiam. Itaque sic res est intelligenda: moralitas generica est habitudo ad objectum subsistens regulis morum, quæ adhuc præciscit an illa habitudo habeat conformitatem vel difformitatem cum regulis morum. Species hujus generis divisivæ sunt bonitas moralis concretè sumpta, h. e. habitudo habeas conformitatem cum regulis morum; & similiter malitia moralis concretè sumpta, h. e. habitudo actûs habens difformitatem cum regulis morum, quam dicimus esse deordinationem privativam & carentiam debitæ rectitudinis. Atque ita etiam malitia moralis est quid positivum non adæquatè & ex parte malitiæ formalis abstractè & divisim sumpta ab ipsa habitudine, sed inadæquatè ex parte habitudinis, quæ formali malitiæ per modum partis genericæ & materialis subternitur. Sic etiam qualibet species animalis est & dicitur sensitiva, non ratione gradûs specificæ superadditi v. g. rationalitatis, sed ratione gradûs generici & materialis, nempe animalitatis.

8. Porro id, quod additur in objectione: species divisivæ moralitatis in genere sunt bonitas & malitia formalis, rursus distinguo: in hoc sensu, quod sint bonitas & malitia formalis abstractè, & præcisè ab habitudine actûs, sic nego; concretè sumptæ, hoc est ut receptæ in ipsa habitudine actûs, sic concedo. Nam species moralitatis non sunt nisi quatenus voluntariæ, voluntariæ autem sunt propter actum & liberam tendentiam voluntatis: quo stante habitudo & tendentia adhuc se habent tanquam materiale respectu malitiæ formalis ut sic, quia est receptivum, & substratum ipsius.

9. Ratio tertia opponitur: In illo formaliter consistit malitia peccati, in quo peccatum legi & præcepto contrariatur: siquidem peccatum definitur per oppositionem ad legem: sed aliquando peccata contrariantur legi in aliquo prohibito: ergo etiam eorundem malitia formaliter consistit in positivo. Minor probatur: Peccata intrinsecè mala, ut v. g. mendacium opponuntur præcepto negativo non mentiendi: sed huic opponuntur per aliquid positivum: ergo. Minor probatur: Objectum hujus præcepti non mentiendi est negatio mentiendi: sed negationi mentiendi opponitur actus positivus mendacii, non enim negatio per negationem tollitur: ergo oppositio cum præcepto non mentiendi fit in aliquo positivo.

10. Respond. primò. Hoc argumentum facile retorqueri posse in Adversarios: hinc enim sequitur honestatem moralem consistere in privativo, vel negativo; siquidem illud, cui peccatum opponitur & quod lege præcipitur, est honestum: atqui negatio mendacii opponitur mendacio, & præcipitur lege non mentiendi: ergo. Atqui consequens pugnat contra Adversarios, qui & ipsi admittunt, ad honestatem exercitii voluntarii requiri directam motionem honestatis objectivæ, prout in priori Tract. ostendimus.

11. Respondeo secundò. dist. maj. In illo formaliter consistit malitia peccati, in quo peccatum legi contrariatur, quoad honestatem præceptam,

concedo; quoad materiam præceptam, nego. Sed peccata intrinsecè mala contrariantur legi negativè in positivo, quoad rem, hoc est negationem præceptam, concedo; quoad honestatem præceptam, nego minorem & consequentiam. Similiter distinguo probationem: Præceptum non mentiendi habet pro objecto negationem mendacii, quoad materiam & rem præceptam concedo; quoad honestatem, nego: ergo oppositio cum præcepto non mentiendi fit in aliquo positivo, quantum ad oppositionem cum materia & re præcepta, concedo; cum honestate præcepta, nego consequentiam. Ad alteram probationem, quod negationi non opponatur negatio distinguo maj. negationi ut negatio est, concedo; ut substatur honestati virtutis & est voluntatis, nego.

Sensus & ratio distinctionis est; quòd eundem præcepta negativa pro materia præcepta connotent negationem, pro fine tamen intrinsecè & formali respiciant honestatem determinatam virtutis, ad quam pertinent. Unde voluntas materialiter quidem conformatur ejusmodi præceptis, per negationem seu omissionem actûs prohibiti, quo modo etiam dormientes & amentes dicitur possunt servare talia præcepta; ut autem voluntas dicatur formaliter moraliter conformari & habere rectitudinem præcepti, oportet ut etiam conformetur quoad honestatem præcepto intentam, quod nunquam contingit absque intentione & actu voluntatis. Cum igitur aliquis per actum intrinsecè malum transgreditur præceptum negativum, actus ipse ex parte suæ positivæ tendentiæ opponitur materiæ præceptæ, e. g. mendacium negationi ipsius: ex parte verò honestatis & rectitudinis moralis opponitur per privativam negligentiam & defectum tum rationis tum voluntatis, non conformantis se honestati & rectitudini præcepti per rationem prædicam representatam.

Quarta ratio Philosophica solvenda superest. Extrema contrariè opposita consistunt in positivo: sed bonum & malum morale contrariè opponuntur secundum Philosophum 2. Eth. c. 7. & 8. idque propriè dicta contrarietate, quia dicitur bonum & malum, studiosum, & vitiosum, justitiam & injustitiam opponi sicut album & nigrum, dulce & amarum, &c. unde & Doctor Angelicus inter virtutem & vitium, quod ex actibus peccaminosis generatur, agnoscit strictè & propriè dictam contrarietatem.

Respondeo eadem distinctione, ut primò opponuntur contrariè & quidem contrarietate propriè & strictè sumptæ bonum & malum morale virtus & vitium, sumpta concretè, concedo; abstractè & quoad ipsam formalem rationem malitiæ aut vitiositatis, sic nego: ita enim opponuntur contrarietate solum latè accepta, hoc est privativè sicuti prima contraria. Quam esse generatam mentem D. Thomæ ostendunt testimonia ipsius in præcedentibus accumulata.

Ex dictis constare potest, sententiam, quæ formalem malitiam peccati in privatione debitæ rectitudinis constituit, esse oppositâ sententiæ, quæ intrinsecè quàm extrinsecè probabilior est. Hoc intrinsecè, quia conformior dicitur Concill. SS. critice & 17.



& PP. & D. Th. quorum testimonia perquam difficili extricatione solvunt Defensores positivæ malitiæ. Intrinsicè; quia procedit potissimum ex fundamento Theologico sanctitatis Divinæ;

cum sententia opposita fermè nitatur philosophicis rationibus, quæ non admodum difficilem habent solutionem.

## DISPUTATIO XVIII.

DE

## Peccato omissionis.

Quamvis secundum dicta in Tract. IV. probabiliter dari possit pura omisso peccaminosa, sine omni actu, ferè semper tamen aliquis actus non tantum internus, sed etiam externus cum omissione connectitur. Quæ connexio potest esse vel causalis, si nempe actus per modum causæ, motivi, vel occasionis influat in omissionem, ut si ludendi gratiâ omittas Sacrum præceptum audire. vel concomitans, si nimirum omisso ex alio capite sequeretur, quamvis ille actus nullo modo conjungeretur omissioni, ut si tædio pluvix tempestatis decrevisti manere domi, quo tempore urget præceptum adeundi Ecclesiæ: & tamen, ne sis otiosus, eodem tempore studes. Igitur post examinationem malitiæ in peccato commissionis, nunc de malitiâ tam omissionis, quam actus cum illa conjuncti disputamus, quam pariter in privativo consistere, & esse inordinatam omissionem actus præcepti, jam in priori Disputatione deductum supponimus.

## ARTICULUS I.

An, & quale peccatum sit actus Omissioni culpabili conjunctus?

## SUMMARI A.

1. Omisso vitiat actum, qui est causa, vel Occasio illius.
2. Actus tantum concomitanter conjunctus omissioni, per illam non vitatur.
3. Exponitur Authoritas S. Doctoris.
4. Quomodo actus omissioni concomitanter junctus, fiat tempore indebito?
5. Actus tantum concomitans omissionem, est impedimentum naturale, non morale actus præcepti.
6. Actus causans omissionem culpabilem, per se contrahit solius omissionis malitiâ.
7. 8. Solvuntur objectiones.
9. Quando nam in confessione debeat exprimi actus omissioni conjunctus?
10. Aliquando somnus conjunctus omissioni culpabili non est peccaminosus.
11. Distractio bonorum, quæ sunt obnoxia restitutioni, est speciale peccatum.
12. Potest esse obligatio studendi, tempore quo urget præceptum audiendi Sacrum.

## §. I.

Negatur malitiâ actus concomitantis, tametsi impossibilis.

1. Certum est, si actus, omissioni culpabili conjunctus, sit causa vel occasio illius, vitari per malitiâ omissionis, tametsi foret ex objecto bonus, vel indifferens, uti studium, conversatio &c. Cujus ratio est, quia quod assumitur à voluntate tanquam formalis vel virtualis causa peccati, est moraliter malum; sed, quando actus est causa

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.

vel occasio omissionis culpabilis, hoc fit; ergo. Unde eodem præcepto, quo obligamur ponere actum, etiam jubemur removere causas, è quibus prævidemus securam omissionem actus, nisi moralis difficultas & impossibilitas excuset.

Queritur ergo de actu solum concomitanter conjuncto, quamvis alias incompossibili cum actu præcepto, ut est v. g. Iusus tempore audiendi Sacrum, utrum per conjunctionem cum omissione actus præcepti malitiâ contrahat, præsertim si sit actus ex sua specie vel objecto honestus, ut est studium; nam si sit actus malus, e. g. furtum, habere propriam speciem malitiæ in comperto est.

Affirmativam tuentur Valentia, Lorca, Grando; negativam Alvarez, Cornejo, de la Serra, Suarez, quos citat & sequitur Godoyus hic disp. 22. §. 1.

CONCLUSIO PRIMA. Actus omissioni culpabili tantum concomitanter conjunctus, & supponens firmam omittendi voluntatem, nullam exinde malitiâ per se contrahit. Ita Auth. cit.

Ratio est: quia non aliâ de causâ actus conjunctus omissioni culpabili malitiâ contrahit, nisi quia per modum causæ formalis aut virtualis in illum influit; sed actus qui merè concomitanter se habet, neque est causa formalis neque virtualis respectu omissionis, siquidem illa sequitur vi alterius causæ & voluntatis præsuppositæ, & sequeretur, quaptumvis ille actus, studii v. g., non poneretur; ergo nullam contrahit malitiâ.

Confirmatur. Si actus omissioni culpabili tantum

Bb

tantum